

305

lus etiam rationis usus in eâ locum habere possit, nisi per sermonem & institutionem, adeo ut illis adminiculis destituta, veluti tabula rasa mansura sit, & non nisi secundum ductum naturæ bruti instar. In-  
ficiantur quoque ex Scholasticis aliqui, propositionem: DEUS est; per se notam esse: alii, multos etiam inveniri posse, existimant, qui habeant ignorantiam DEI invicibilem, adeoque haud peccent mortaliter, etiamsi proximum interficiant: alii ad minimum in rudi & sylvis enutrito evenire posse arbitrantur.

§. 10.

Equidem dissimulari nequit, extitisse subinde non de vulgo tantum, sed inter politiores etiam & Philosophiâ imbutos Ethnicos, qui, Numen esse, vel subdubitârunt, vel penitus abnuere. De Protagora enim Diogenes Laërtius in vitâ ejus memoriæ prodidit, librum edidisse, hisce verbis statim in frontispiciô consignatis: *οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἰθ' ὡς εἰσὶν, εἰθ' ὡς οὐκ εἰσὶν.* Diagoras, Theodorus Cyreniacus, Evemerus, Tegeates, Callimachus, Prodicus Ceus, Hippon & alii, de quibus Cicero, Diogenes Laërtius, Plutarchus, Sextus Empiricus, constanter repudiârunt. Quorum exemplis ipse etiam deceptus Scaliger vel saltim ab intra nullum hujus homini connasci notitiæ semen, ratus, *mentem*, inquit, *naturaliter intelligere, DEUM esse, non est verum, nam & est à Diagora, & aliis insipientibus hominibus, mente tamen præditis, negatum, & à Protagora dubitatum, & ab Aristotele probatum, & à Metaphysicis quæsitum.* Cui frigidam suffundit Johannes Gerhardus Vossius. Sic ipse divinô Spiritû percitus Psaltes regius, impios, ait, in cordè suô dicere *אין אלהים* (Ps. 14.) Narrant alii historiam levissimi cujusdam, qui vivum se cremari passus potius, quàm DEUM fassus.

§. 11.

Verum enim verò, quicquid tandem vel scripserint, vel fecerint vel blasphemaverint isti malè feriati, non simplex ignorantia, sed affectata pravæque dispositionis est censenda; per extremam malitiam omnem forsitan excusare Numinis sensum, nec tamen constat, num internis aliquando conscientiae stimulis com-